

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Nathan Chyträus

**Natalis Dn. Nostri Iesv Christi Salvatoris Vnici CI I XXCV. Oda Anniversaria
celebratus à Nathane Chyträo. Cum appendice**

Rostochij: Myliander, [1585]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1762020653>

Druck Freier  Zugang



1585

C

9

1527/1



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1762020653/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1762020653/phys_0001)



69-1527/1.



485
F
**NATALIS DN. NOSTRI
IESV CHRISTI
SALVATORIS VNICI**
CICCI XXCV.

ODA ANNIVERSARIA
celebratus a

NATHANE CHYTRÆO.

Cum appendice.



Rostochij, typis Myliandrinis.

Humaniss. doctissimoq; viro
D N. P E T R O P E D A N O,
OPTIMARVM ARTIVM MAGI-
stro, & cui Rostochiensi, amico
suo charissimo.

Cum tua strena mihi vultu offerretur amico,
Ornata Argolicis Romuleisq; sonis :
Hæc ipsa in manibus mihi erant tum carmina, laudes
In Christi & cunas officiosa sacras.
Quis doctosq; probosq; viros ornare quotannis
Hactenus ingenuo pectore sum solitus.
Quos inter virtute tua linguaq; diserta
Cum celebrem obtineas care Pedane locum :
Meq; prior quasi sollicites : en accipe rursum
Parua sed à studiis non aliena meis.
Accipe quin etiam nostræ præfagia Musæ,
Submissa hac Phœbus quæ mihi voce præit.
Non fumos inter latitans tostamq; polentam,
Hæc tua cui donas, otia semper aget :
Non doctrina illud patitur, non gratia morum.
Post paulò in patriæ luce Pedanus erit.

Nathan Chytræus.



1932. VIII. 66.

ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ ΚΑΙ ΦΙΛΑΝ-
ΘΡΩΠΩ ΣΩΤΗΡΙ.

ODE TRICOLOS
TRISTRYPHOS.

Cuius primus versus est heroicus hexameter. alter dactylicus Archilochius. tertius iambicus dimeter.



Vnc etiam cūnasq; tuas, puer o-
ptime Iesu,
Ettua facta cano,
Mundi redemptor & salutis.
Tu Deus & summo par maiestate parenti
Sis licet omnipotens,
Cœliq; consors gloriæ:
Sponte tamen lapsi voluisti frater Adami
Verus homo fieri,
Sortisq; nostræ particeps.
Scilicet offendit ut nobis placare Iehouam
Ipse Iehoua queas:
In carne nostra sustinens
Delicto poenam æqualem, par esse creatus
Nemo cui poterat
Etiam ipsos inter angelos.

Az

Tu

Tu sponsor, vasq; ille potens, vnuſq; fuisti
Antilytron miseris
Satanæ de fauce pendulis.

Tu tenera latitans etiamnum matris in aluo,
Et lacero in stabulo
Sub lucis oras prodiens,
Cœpisti offensas nostras & numinis iram
Sncipere atq; pati,
Nobis ferenda perferens.

Infans tu Samiae sensisti vulnera testæ,
Innocuofq; tuos
Tellus cruores imbibit.

In cæsis etiam tu infans infantibus ictus
Vulnere lethifero
Es læsus in membris caput.

Tu patriam exilio sœui mutare tyranni
Cogeris ob rabiem,
Extorris inter exterros.

Tu certa sine sede miser ceu seruulus erras,
Obsequioq; patri
Matriq; castæ subiaces.

Tu vir iam factus florentibus integer annis
Insidias Satanæ,
Famenti, sitimq; sustines.

Idq; adeo bis vicenas noctesq; diesq;
In nemorum latebris
Errans quietis inscius.

Tu

Tu / etis septem per rura per oppida lustris
Pauper inopsq; vagans,
Piacularis victimæ
Instar portasti nostras cum crimine culpas,
Nec requiem capiti
Cespes dedit vel angulus
Vllus. quin tandem extremi cum meta laboris
Ingrueret cupido
Nostræ salutis vindici:
Tunc ille Oceano veluti patris obrutus ira
Mente animoq; simul
Gemens tremensq; exhorruit.
Expressitq; illi in tanto dolor anxius æstu
Sanguineos latices,
Puriq; roris gemmulas.
Corpore mox etiam laqueos, flagra, vulnera
Suppliciumq; crucis, (passus,
Corpus sepulcro condidit.
Viq; illud propria viuis victorq; resumit
E tumulo, simul &
Sepulcra nostra pertudit.
Postq; dies quadraginta cum corpore vero
Ad superos abijt,
Suos eodem ut pertrahat.
Atq; ita perfecit meritum immortale salutis,
Sufficiensq; patri,
Modisq; perfectum omnibus.

A 3

Hinc

Hinc quoniam semel hoc nomen pleneq; filiu-
Exigit haud duplēm (tum est;
Solutionem creditor.
Creditor ille bonus simul & iustissimus idem,
Et precibus facilis,
Veri q; tenacissimus.
Ergo tibi quis non grates, mitissime Iesu,
Et sonet & resonet?
Summisq; tollat laudibus
T'am sublime tuum meritum, nec corda nec ora
Cui paria esse queunt,
Licet fatiscant cantibus.
ertè ego qui cecini tua tanta charismata pridem
Continua serie
Natalium complurium:
Quod supereft, modo quid supereft, mihi tem-
Laudibus omne tuis (poris illud
Dabo tuæq; gloriae.
Tu mentem modo confirma, tu suffice vires,
Quas nisi tu dederis,
Statim labasco marcidus,



PARO-

900

PARODIA SACRA
ODES VI. LIB. IV.
Carm : Horatij.

Christe, quem dirus Pharao & cruenti
Vindicem Herodes animi dolosus
Sensit, & vastus Golias Gigantum
Semine cretus,
Cæteris maior tibi Dauid impar,
Omnibus terror licet vnuis ingens
Isaci gentem premeret tremendo
Robore fretus.

Ille cœlestivelut icta telo
Quercus, aut flatù Boreæ colossus
Procidit latè propriumq; tinxit
Sanguine ferrum,
Vnius Dauid siquidem Iehouæ
Viribus pugnax erat; ille mole
Corporis fidens tetricoq; fastu
Spreuerat omnes.

Numquid hoc æuo similem tyrannum
Vidit & nouit vaga gens piorum?
Qui lupus tanquam rabidus cruentum
Vastat ouile.

Ille nil curans patriæ ruinam,
Milite externo gravis (heu nefas heu)
Non Scythæ aut Turci, sed in ipsa matria
Viscera sœvit.

A 4

Et

Et palam cuius metuendus armis,
Inscios fari pueros Iberis
Quæreret telis etiam latentes
 Matri in aluo.

Ni pijs victus precibus suorum
Eius arceret furias Iehoua
Paruuli tutor gregis atq; custos
 Rebus in artis.

Rector, & sanctæ caput ipse gentis,
Cui tui riuis maculas crux
Eluis, defende tui tenellos
 Corporis artus.

Spiritum Christus mihi, Christus artem
Carminis munusq; dedit poëtæ,
Qui iuuentutem pietate & aptis
 Moribus ornem.

Opuer Christo date litterisq;,
Angeli tutela sacri, feroce
Imperio contra Satanæ hoc nouellum
 Imbibe carmen,

Rite cœlestem venerans parentem,
Rite iam natum celebrans Iesum,
Prosperum mundo, celerem & tyrannos
 Perdere crudos.

Hoc nihil maius meliusue quidquam
Feceris, linguæ labor hic manusq; est
 Optimus.

Optimus, Christum canere, & supinas
Tendere cœlo.

Sifacis ; dices vir adultus olim,
Prolis & compos ; Ego me meosq;
Prædico æquales nimis , ô, nimisq;
Iure beatos,

Tam quod optatos habui magistros
Paruulus, qui cum pietate vera
Litteras, & me docuere Christo
Pangere laudes,

PUBLICORVM MALORVM
DEPLORATIO CVM VOTO.

Quam misera est Ecclesiæ bellantis imago !
Quam varijs premitur concutiturq; modis !
Iuratus cui hostis Satan est , Satanaq; tyrannj
Carnifices flammis , ense , minisq; truces :
Eiusdemq; flabra & folles astu atq; veneno
Grassantes plenis paſſibus hæretici.
Quid falsos memorem fratres ? quid schismata ? quid tot
Scandala , & ulceribus vulnera foeda suis .
Quis aut nemo potest aut vult iam pæne mederi ,
Cum desperatis proxima quisq; putet.
Quando etiam morbis medicina nocentior ipsis
Sæpè fit , & medica plus valet arte malum.

A s

Hinc

Hinc ferme aut frigent calidos quos esse decebat?
Aut ferore modum non retinente calent.
Doctrinæ hinc satis explicitæ nec lucis egenæ,
Est multis tenebras implicuisse labor.
Christiadum quando vinculum commune, quod ipsos
Cum capite inter se necesse debuerat
Herculeis plus quam nodis, inamabile pomum
Diræ Eridos nimijs efficiunt odijs.
Hinc flammæ irarum crescunt, quibus ille bitumen,
Iste oleum affundit fleibile, nullus aquam.
Nullus aquam puram affundit, cui nil picis insit,
Non naphtha, aut laticis guttula sulphurei.
Quin etiam haud vanus timor est quandoq; futurum
Ut lis hæc patriæ bella cruenta ferat.
Omnia sic abeunt peñsum, sic optima pridem
Degenerant miris debilitata modis.
Non est illa fides erga Christumq; hominesq;
Quæ quondam in priscis esse solebat aus.
Non illa integritas, probitas, constancia, candor,
Non tantus patriæ, non pietatis amor.
Regna tenet Fastus Pluto cum fratre, furenter
Huic inhibant etiam qui se inhibere negant.
Ipsaq; Religio quondam castissima virgo
Prosternat, & est Pluti facta ministra sui.
O secula! ô mores! ô plus quam ferrea corda,
Quæ cura, heu, tanq; non mouet ulla mali!

Felic.

970

Felices autem hæc inter sceleræ atq; ruinas
Qui intacti sursum corda oculosq; ferunt,
Cœlestem in patriam intenti, sedesq; beatas,
Finis ubi. & requies certa laboris erit.
Horum ipso in numero, quin nos quoq; principe Christo,
Omnibus ille unus sufficit, esse iuuet:
Interea hic cœcus cœcum antra per aua ducat:
Exanimes tumulet mortua turba suos.
In viuo spes nostra D E O est, hoc nitimur uno,
Ductorem hunc unum nouimus, & sequimur.
Huic uni certa est via visa per inuia nobis,
Sicut is optatis linæa nostra vadis.

IN ACOLASTVM SERO
SAPIENTEM
PARODIA HORATIANA
EX LIBRI QVARTI
ODE DECIMA.

O Potator adhuc, & Veneris mancipium impotens,
Improuisa tuæ cum veniet meta libidini:
Et quæ nunc loculos nobilitant, exciderint Rose
Anglorum aureolæ: atq; impatiens, cœcus amor sui,
Vrgeri monitis te indocilem reddiderit senem:
Dices: Heu, capit is præproperas conspiciens niues,
Quæ nunc est mihi mens, cur eadem non iuueni fuit?
Vel cur his animis ingenij non reuenit vigor?

IN

IN SCHOLE IOMASTIGAS.

Quod possum hic facio, indecessa mente labore,
Et me commando discipulosq; Deo.
Vtq; alij hoc faciant sat sedulus insto, Deoq;
Facta esse & fieri hic plurima grata scio.
Nam labor hic, domini auxilio, non irritus unquam
(Audiat hoc quamuis Inuidia ipsa) fuit.
Traducor tamen innocuus clam saepe palamq;
Carpunt hic multi plurima, nemo iuuat,
Aut pauci sanè, prudentum quando bonorumq;
Exiguus semper, ceu fuit, est numerus.
Quin neq; desistunt scabro me rodere dente
Immerito qui me talia ferre sciunt.
Tanti illis sapere est in vulgus posse videri,
Tanti illis vanæ guttula gloriolæ.
Quid faciam? spes freta Deo, mens conscientia recti,
Hæc quoq; ferre, fero qui grauiora, iubent.
Forsitan tempus eis, nil tale putantibus, instat,
Quando eadem ex merito, qui facit ista, feret,
Vel grauiora etiam. Siquidem grauiora meretur,
Nil quoq; que meritis parcere lingua nequit.
Interea haud ægræ noster ferat ille Filistus,
Nos Christi hoc ipsi suauiter occinere;
Deme Filiste trabem ex proprijs prior ipius ocellis,
Festucam ut fratri carpercere iure queas.

De-

Desine vegrandes prius ò glutire camelos,
Quam culicem coles fratri acerbatui.

ADAMI LAPSUS NON
EXTENVANDVS.

Quid stolidè extenuas miserandi crimen Adamis
Deplorare satis quod mihi nemo potest.
Non etenim in pomum tantum deliquerat ille:
Sed simul in Domini iussa fidemq; sui.
Quem Satanæ quasi postposuit, quando immemor iræ
Illijs, aurem huius præbuit illecebris.
Quin etiam eſe Deo par maiestate cupiuit,
Quod quantum fuerit flagitium inde patet,
Quod furor hic animi tumidiq; superbia cordis
Sic iram accendit iustitiamq; Dei,
Ut tantam poſſent haud ulla piacula culpam
Soluere, & offenditum conciliare patrem:
Ni bonus Immanuel, persona trinuminis una,
Induceret nostræ debile carnis onus.
Infra omnes quasi depresso, subq; infima missus
Tartara, ut hinc redditum pandat Adame tibi.
O minimè enerues offensi numinis iras!
Iudicia ò iusti cuncta ſcuera Dei!

TVR-

TVRRIS FORTISSIMA NO- MEN DOMINI.

Quid iuuat aut opus est tantas circumdare moles
Vrbibus aggeribus cinctis & triplice muro?
Quid rostris opus aeratis, tonitruq; sonoris
Naubus absq; Deo? cunctis posponere rebus
Quem mos est tamen, heu duro quandoq; luendus
Suppicio mos, ni in melius sese omnia vertant.
Hic ille, en, hic bellipotens, sine numine cuius
Nil muri aut tormenta tibi, nil robur equorum
Aut hominum prodeße queunt. Ierichuntis amane
Moenia nullo urgente ruunt. grauis ille Gigantis
Goliathi gladius, sic rem moderante Iehoua,
In domini iugulum conuertitur; ipse supinus
Dum iacet ut ventis radicitus eruta taxus.
Tantum illic funda una valet, silicisq; minutis
Vis pugnante Deo, qui si vna militet; omnis
Irritus armorum labor est utcumq; minetur.
Tum maxilla asini vel putrida Simsonis harpes
Aut paxillus erit vase armatura Iahelis
Terrificum contra Sisaram. tum Sangaris hastas
Vel fragilis fuerit stimulus, quo incuruus arator
Bubus vel tauris glebas fidentibus instat.
Recte igitur quicunq; sapis, nulla incipe bellas
Cæptaue continua, confidens molibus istis
Turritis, vallisq; tuis, fossisq; profundis,
Tormentisue, fragore licet vim fulminis æquent.

Nil curia

412

Nil cuncta hæc prosum, noctuerunt sepius, ipso
Non una bellante Deo. verumtamen illum
Fidum adiutorem ut habeas, nihil incipe Christi
Oraclis non consultis, & codice sacro,
Ceu decet & fas est animo auscultare parato.
Hinc iusta & pia sit numquid tua causa videbis;
An mala. si mala sit; bene desine. sin bona; perge:
Sic tamen ut propriis diffisus viribus, vni
Commitas tua cuncta Deo, quando, hunc penes unum
Vis illa effectrix posita est. hunc ergo labora
Conciliare tibi precibus lacrymisq; profusis
Ex animo. quod si hac etiam nil parte vacillas;
Prospectumq; tibi est: mediis tum cœlitus acer
Vtere concessis, nec parce laboribus ullis,
Nec precibus curæ adiunctis, votisq; labori,
Donec te viridi victoria fronde coronet.
Fautore hoc sat firmus eris contra omnia mundi
Arma, dolos, atq; insidias. sin ille recuset
Auxilium; nil vis, nil propugnacula, nil fraus,
Nil gladius, nil cestra potest, labor omnis inanis.

IN M V S T E L A M A E S O P I C A M .
Desine iam tandem mordentem arrodere serram,
Desine iam limæ lingere scabritiem.
Elinguis siquidem citius mustela gemiscet,
Quam quid de ferro deterere ore queat.

F I N I S .

Read



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1762020653/phys_0021](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1762020653/phys_0021)



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1762020653/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1762020653/phys_0024)

TURRIS FORTISSIMA NO- MEN DOMINI.

id iuuat aut opus est tantas circumdare moles
bibus aggeribus cinctis & triplice muro?
is opus æratis, tonitruq; sonoris
Deo? cunctis postponere rebus
men, heu duro quandoq; luendus
in melius sese omnia vertant.
potens, sine numine cuius
tibi, nil robur equorum
queunt. Ierichuntis amæna
sum. grauis ille Gigantis
oderante Iehoua,
er; ipse supinus
eruta taxus.
licisq; minutis
tet; omnis
minetur.
nis harpe,
is hasta
ator
Tum maxilla asini
Aut paxillus erit vasa
Terrificum contra Sifa
Vel fragilis fuerit stimula
Bubus vel tauris glebas fi
Recte igitur quicunq; sapis,
Ceptaue continua, confidens n
Turritis, vallisq; tuis, foßisq;
Tormentisue, fragore licet vim fi